



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 37. De rebus apud lapeivienses factis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Prestor Hi-
spanos reu-
est.

Sancti Xa-
verii oppidū
apud Jape-
vienenses
fundatur.

Et Regum
apud Jape-
vienenses.

Varia natio-
nes ad Fidem
sollicitantur:

Praesertim
ab Francisco
Ricardo.

CAPUT
XXXVI.
De rebus a-
pud Jape-
vienenses fa-
ctis.

Barbara pa-
rentatio.

Barbari in
Petrum Ro-
merum con-
spicunt.

Taioi Reli-
gionis proga-
ganda celius.

Michaëlem Ampuerum secundo Urvaicā ad portum Boni-aëris amandans, non tantum amotionem prefectorum, sed etiam nova pecuniarum subsidia, ad alendos per Urvaicam Socios, à Prætore impetravit. His rebus perfectis, Provincialis per Piratinense Divi Nicolai oppidum iter circumflectens, ad Jaguataitenses profectus, novo Divi Xaverii oppido regendo Michaëlem Ampuerum, dum è portu rediret, præfecit. Deinde ad Japevienses descendens, perspecta Barbarorum & locorum conditione, oppidam jam cœptum perfici curavit, & Tribus Sanctis Regibus dicatum, Petro Romero regendum tradidit; magno planè campestrium Indorum emolumento: nam præterquam quodd haetenus, Societatis operâ, in hac reductione suprà quatuor capitum Guairanicæ gentis millia baptizata sunt, Jarosi, Mbaquez, Charuz, Guenoæ, & alii feritate insignes populi, haetenus indomiti, non sine aliquo animorum lucro, ad Fidem Christo dandam sollicitati sunt. Et dum hæc scribo nusquam alias major spes affulsa earum gentium convertendarū, Francisco Ricardo Gallo-belgā in Evangelicum illud opus intentissimo, & ad congregandam gentem novi oppidi fundamenta sub nomine Divi Andreæ jacente. His rebus perfectis, Provincialis per Urvaicā & Paranae oppida ad Assumptionis urbem, & inde per immensa spatia in Tucumaniam, iter reflexit, constatque in unica provinciæ inspectione, ante separationem Chileni regni, bis mille leucas ab ipso fuisse perfectas.

Post discessum Provincialis Petrus Romero ex novo Regum oppido excurrens, multos infantes, peste grassante, in Ethnicorum terris Saero Fonte expiavit. Charuam unum fortuito casu animam agentem baptizavit, in cuius inferiis, spectante Romero & nequicquam reluctante, consanguinei omnes sibi digiti nodum unum crudeli prorsus parentatione præsciderunt. Defuncti pater, dolore in rabiem actus, nescio quem veneficum, quasi in filium veneno grassatus esset, pugione bis transfodit: vulneratum & auxilium petentem Romeru contra furibundum hominem, telum jam collineantem, intrepidâ autoritate non tantum tutatus est, sed etiam præstigiis ritè ejuratis baptis malis, Sacramento Christianæ militiæ adstrinxit, alligatisque vulneribus, æquè corpori ac animæ medelam fecit. Tantis damnis irritatus dæmon, ringens frendensque vicinos Japeviensibus populos instigat in novorum Christianorum perniciem: & jam collatis capitibus de maestando Romero consilia conferebant, cum unus è convocatis, qui ejus liberalitatem non ita pridem in novo oppido degustarat, male se facturos pronunciavit, si in Sacerdotem advenam, profusissimæ largitatis virum, aut ejus discipulos innocentiam professos, arma sumerent: quâ ratione dæmonis furor frustratus est. Deinde memoratur factum Taioi adolescentis, qui postquam in Regum oppido à Provinciali vestem acu pictam planè elegantem dono accepisset, accidit ut Ethnici è longinquis locis Japeviensies inviserent, quos ut ille ad Christi partes pelliceret, detractam sibi vestem advenarum precipuo donat, cum commendatione Societatis sua liberaliter largientis, nec aliena præter animas appetentis, monens ut vestem, Provincialis donum, in hujus rei fidem ad populares suos reportaret, follicitaretque ad Christianam legem recipiendam. Evidem, meo iudicio, nemo aliis pro Christo planius se exuit: eò memorabiliori exemplo, quod in Barbaro & ferè nudo.

